

42 Præsentandi hic modus, utpote alternis vicibus, hodie turnus vocatur, qui duplex est. Aliquando enim nomine proprio competit, ita, ut in eo acru alter Patronus nullas partes habeat. Aliquando vero dividitur, ita quidem, ut unus nomine omnium nominet. In Anglia ann. 1227. convenit inter Abbatem S. Augustini Cantuariensis (a), & Barones regni, ut, quotiescunque Ecclesia N. vacaverit, Abbas, & Conventus S. Augustini Cantuariensis una vice, libere pro sua voluntate conferrent Ecclesiam prænominatam, cui voluerint, & Barones alia vice pro voluntate sua. Præsentabunt autem Abbas, & Conventus per literas facientes mentionem de Jure Baronum S. & Barones similiter de S. præsentabunt per literas facientes mentionem de Jure Abbatis.

43 In Gallia Jus Patronatus præsertim laicale, tanquam temporale, & patrimoniale habetur; ut receptum sit, quod sicut de temporalibus laici non sint coram Judice ecclesiastico conveniendi, ita nec de Jure Patronatus laico vel in petitorio, vel in possessorio Judex ecclesiasticus cognoscere possit, licet Decretum Alexandri III. diserte refragetur. c. 3. de Judic.

Cap. 5.
De Præsent.
sent.

44 Juris Patronatus frequentior prærogativa in jure præsentandi elucet. Veteri more, quo Ordinationi titulus beneficii adhæsit, Patronus Clericum obtulit ordinandum, si idoneum Episcopus comprobasset. c. 32. XVI. q. 7.

45 Postquam invaluit, quod provisio beneficii ab ordinatione separetur, Jus Patroni ad præsentationem recidit, ut Episcopus eum in beneficio, velut Ministrum Ecclesiæ instituat. Inquit Gratianus: *Habet Patronus jus providendi, consulendi, & Sacerdotes inveniendi*, utpote ad præsentationis effectum. Grat. ad c. 30. XVI. q. 7.

46 Officium Episcopi est, oblatum, præsentatumque à Patrono Clericum, si idoneus appareat, admittere. Inquit Concilium Toletanum IX. *Quod si spreto ejusdem (Ecclesiæ) fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam esse noverit, & ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint) ordinari.* Refert. c. 32. XVI. q. 7.

47 Novo jure inde hæc institutio necessaria dicitur, quia ei, quem Patronus nominavit, necessario beneficium conferri debet, nisi præsentatus absolute indoneus appareat. Arg. c. 1. de Præb. in 6. & alibi.

(a) Guil. Thron. in Chroa.

48 Synodus Romana (a) tum sub Eugenio II. tum sub Leone IV. statuit: *Si sæcularium hominum sub jure (utpote Patronorum laicorum) sint constituta (Ecclesiæ) ab Episcopo illius diocesis admoneantur. Et si admoniti (illi Patroni) Presbyteros intra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens Episcopus, absque neglectu, id est mora, Principi suggerat, quatenus ejus emendetur sententia.*

49 Alexander III. in Concilio Lateranensi III. (b) decernit, ut ordinet Antistes, utpote Episcopus, Ecclesiam, sicut viderit melius secundum Deum ordinandam — si de Jure Patronatus quæstio emergerit inter aliquos, & cui competat, intra tres menses non fuerit definitum.

50 Quum nonnulli Codices tribus illis mensibus quatuor substituissent, interpretatione recepimus, Patrono laico quatuor menses ad præsentationem esse relictos. Nam & in Decretalibus Gregorii IX. lectio quatuor mensium substituta apparet. c. 3. de Jur. Patr.

51 Hac interpretatione succrevit differentia inter Patronatum laicum, & ecclesiasticum, cui sex menses relinquere placuit, quia Patronatus ecclesiasticus jure cujusdam collatoris censetur; atque inde de Patronatu ecclesiastico explicare libuit Decretum Alexandri III. c. 22. ibi.

52 Hanc differentiam alterutrius Patronatus posthac probavit Bonifacius VIII. eo Decreto, quo declaravit, quod semestre competat etiam Ecclesiæ, vel Monasterio; veluti Patrono ecclesiastico, cui à laico Juris Patronatus cessio facta est. c. un. de Jur. Patr. in 6.

53 Succrevit & alia differentia. Consultus est Lucius III. si Patronus Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, & postmodum, priore non revocato, alium æque idoneum postulaverit in eadem Ecclesia admitti; quis eorum alteri præferendus sit? Rescripsit Pontifex: *Judicio Episcopi credimus relinquendum, si laicus fuerit, cui jus competit præsentandi. Verum si Collegium, vel ecclesiastica persona, Jure Patronatus ecclesiastici, habeat præsentationem; qui prior est tempore, jure potior esse videtur.* Refert. c. 24. de Jure Patr.

54 Hæc Pontificis distinctio axioma peperit, Patrono laico variationem per accumulationem præsentationum esse datam, ut ex præsentatis habiliorem eligat Episcopus; quippe præsentatio laici veluti supplicatio spectatur, quæ nullum jus præsentato ex suo genere tribuit. At vero præsentatio
Epist. Van-Espen T. II. O ta-

(a) Synod. Rom. sub Eug. c. 24. sub Leon. c. 24. (b) Conc. Later. c. 17.

ratio Patroni ecclesiastici instar collationis æstimatur, ut jure potior esse mereatur, qui prior est tempore.

55 Ex hac differentia nata est & alia, quod Patronus ecclesiasticus, si indignum præsentavit, ea vice jus præsentandi amittat; quod tamen Patronus laicus retinere dicitur, ut alium præsentare possit, quod probare contendunt per *c. 4. de Jur. Patr.* Ast olim & laicus, si indignum præsentasset, ea vice jure præsentandi excidit. *Nov. 123. c. 18.*

56 Si laicus infra quadrimestre, Ecclesiasticus infra semestrem ab habita notitia vacationis neminem præsentaverit, Episcopus illud beneficium jure ordinario, qui ea vice liberum apparet beneficium, confert. Sic censent, validam esse, & præterita præsentatione Patroni, collationem Episcopi, si Patronus acquiescere velit, quia collatio proprio jure, non jure devoluto, Episcopi est.

57 Patronus præsentare dicitur, quando Clericum Episcopo, vel alteri Collatori instituendum, vel ordinandum exhibet. Jure novo alicubi invaluit consuetudo, quod ad Ecclesias, in quibus Collegia jus præsentationis habere noscuntur, eorum Abbates, aut per se, aut per literas personas idoneas Episcopo diocesano præsentent. Refert. *c. 6. de his, quæ fiunt à Præl.*

58 Hæc consuetudo hodie fere generalis est, quod nulla præsentatio, nisi per literas admittatur, debentque literæ præsentationis in forma authentica, non secus ac literæ collationis expedire. In Gallia Regio Edicto cautum est, ut literæ præsentationis expediantur à Notario Regio Apostolico.

59 Præsentatio, utcumque expedita, non censetur perfecta, nisi realiter exhibita fuerit Ordinario. Præsentationis enim nomen refertur ad alium. Hinc, quamdiu præsentationis literæ non fuerint exhibitæ Collatori, præsentatio informis adhuc est, ut possit non tantum Patronus laicus, & ecclesiasticus tum per accumulationem, tum per revocationem prioris præsentationis variare. *Arg. 25. de Jur. Patr. & Sibi Interp.*

60 Si plures sunt Patroni, qui instar corporis habentur, præsentatio collegialiter, exemplo electionis, fieri debet. Si vero Jus Patronatus pluribus divisim sive ut singulis competit, tunc & separatim, & diverso tempore, & per diversa instrumenta præsentare possunt, ut præferatur is, qui majoribus suffragiis juvatur. *c. 3. de Jur. Patr.*

61 Si singuli Patroni plures præsentent, aut à pluribus præsentatus sine scandalo admitti non possit; Episcopo ea vice jus est, Ecclesiam, sicut melius secundum Deum vide-

derit, ordinandi. Consuluit Clemens V. ut ad evitanda incommoda Patroni plures eo modo præsentent, quod unus ex eis per Episcopum eligatur. *Clem. 2. d. t.*

62 Si controversia de ipso jure Patronatus hæreat, quæ infra quadrimestre definiri non potuit, ex tunc Collator non differat, Ecclesiæ de persona idonea providere, quia propter laicorum lites non debet Ecclesiis præjudicium generari. *c. 27. de Jur. Patr.*

63 Huic decisioni locus est, si neuter litigantium sit in possessione Juris Patronatus. Quippe si alteruter sit in possessione, hic indubie ad præsentandum admittendus est, quia pendente lite nemo spoliatur jure. *c. 3. de caus. Possess. & Propr.*

64 Et vero si constet, Ecclesiam esse patronatam: quæstio tamen sit, utri è duobus jus præsentandi competat; si uterque salvo suo jure in eandem personam consentiat, institutio neganda non erit. Synodus Oxoniensis (a) ann. 1222. inde statuit: *Si ob pendentem litem post quatuor menses nullus fuerit præsentatus, Episcopus nulli Ecclesiam illam conferat pro hac vice, nisi de utriusque Patroni consensu, ne saltem aliquod præjudicium alteri Patronorum videatur generari, si postmodum evicerit Jus Patronatus.*

65 In Gallia & alibi usus viget, quod, Patronis dissentientibus, si à singulis diversi præsententur, omnibus institutio detur sine alterutrius præjudicio; quia, habita institutione, solent sibi in possessorio apud Judices Regios providere.

66 Hinc plures præsentati apud Judices Regios agunt invicem vel interdicto, uti possidetis, vel unde vi, & celeriter, aut alteri ex iis adjudicatur *Recredentia*, ut vocant, possessorium momentaneum: vel Judices illi eum in pleno possessorio tuentur, vel sequestrant controversam Ecclesiam, vel ejus curam alteri extraneo Clerico committunt. *c. 15. de Judic.*

67 Quantum ad alimentationem Patroni statuit Concilium Toletanum IV. *Præbendum est à Sacerdotibus vitæ solatium indigentibus; & maxime his, quibus restituenda vicissitudo est gratitudinis — si enim Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu, in usum res ecclesiasticæ largiuntur, quanto magis his in egestate consulendum est, quibus retributione jure pro fundatione debetur.* Superest fragmentum. *c. 30. XVI. q. 7.*

Cap. 6.
de Jur.
alim. &
Inspect.

(a) Synod. Oxon. c. 3.

68 Hoc exemplo & novo jure præcipit Pontifex: Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur; & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste (utpote secundum facultates Ecclesiæ, & qualitatem personæ, amplitudinemque beneficii) succurritur; sicut in sacris Canonibus est institutum. Refert. c. 25. de Jur. Patr.

69 Exinde patet, fundatori, dotatorique Patrono deberi ipso jure, utpote titulo gratitudinis, justam alimentationem, independentem ab ulla reservatione facta in fundatione. Interim liberum est fundatori vel sibi, vel successoribus, & hæredibus, atque etiam & tertio pensionem, vel census, vel jus quoddam aliud; v. g. fructus vacantis Ecclesiæ, in fundatione reservare, si modo autoritate Episcopi probetur. c. 16. de Cens.

70 Interest ergo Patroni, tum integritati honorum oblatorum, tum observantiæ aliarum legum fundationis invigilare. Juxta Decretum Concilii Toletani IV. Constitutum est à presenti Concilio, Episcopos Dioceses suas ita regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre — quodsi amplius quippiam ab eis præsumptum extiterit, per Concilium restauretur, appellantiibus, aut ipsis Conditoribus (utpote Patronis) aut certe propinquis eorum, si jam illi à sæculo discesserint. Refert. c. 60. XVI. q. 1.

71 Ex sententia Concilii Toletani IX. Filiis, vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit, hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut, si sacerdotem, vel ministrum aliquid ex colatis rebus præviderint defraudare, aut commotionis honestæ conventionem compescant, vel Episcopo, vel Judici corrigenda denuntient. Quodsi talia Episcopus agere tentet, Metropolitanus ejus, hæc insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regiis auribus intimare non differant. c. 31. XVI. q. 7.

72 In reliquis & Patronorum, hæredumque potestas restringenda fuerat, ut sibi nihil indebitum extogarent. Ait Concilium Toletanum IV. Noverint Conditores Basilicarum, in rebus, quas eidem Ecclesiæ conferunt, nullam se potestatem proprii arbitrii habere; sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. Refert. c. 6. X. q. 1.

73 His argumentis statuit Concilium Tridentinum (a): Patroni vero in iis, quæ Sacramentorum administrationem spectant,

(a) Trid. sess. 24. c. 3.

tant, nullatenus se præsumant propria autoritate ingerere? Neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut honorum stibulum, seu fabricarum proventibus, veluti iudices, se immisceant; nisi quatenus eis ex institutione, aut fundatione competit.

74 Supersunt Patronis, qui tales sunt ex fundatione, dotationeque, diversa alia jura, quæ honorifica dicuntur: inter hæc vulgariter recensentur honor processionis, thuris, precum, sedis, aquæ benedictæ, & sepulturæ. Quippe hi honores fundatori debentur ipsi, etsi præsentationi renuntiaverit.

75 Meminit Gelasius I. processionis eo moderamine, quod, dedicatione noviter constructæ, & dotatæ Ecclesiæ peracta, Fundator in ea Basilica ad Missarum solemnias procedere possit, sicut fidelibus omnibus conceditur aditus ad Ecclesias publicas ab Episcopo dedicatas. c. 26. & 27. XVI. q. 7.

76 Jure novo honor processionis duplici modo Patrono exhibetur; utpote quod ei processionaliter, si ad Ecclesiam venerit, à Clero occurrendum sit, si Patronus talis, & tantus v. g. Princeps sit; atque quod ei honoratior locus in solemnibus, & publica processione cedatur. c. 25. de Jur. Patr. & ibi Interp.

77 Honor thuris, sive suffitus consistit in speciali, ac honorifica incensatione, quæ in signum eminentiæ, aut benevolentiam cuiquam exhibetur. Jam pridem Episcopus, & Sacerdotes singillatim, ac separatim à reliquo Clero, & populo suffitum accepisse, sat indicat vetus Ordo Romanus. Jure novo meminit Honorius III. Monasterium S. Georgii Patriarchæ Gradensi honorem incensi exhibuisse. c. 8. de Caus. Possess. & Propr.

78 Aspersio aquæ benedictæ, quod ante alios, & separatim veluti ad notam reverentiæ, Patrono impendatur, inter prærogativas recensetur. Vetant tamen recentiores Constitutiones cuiquam vel sacerdotum, vel laicorum aspergillum porrigi, excepto solo Episcopo.

79 Honor precum in speciali recitatione, & commendatione nominum inter preces consistit. Inquit Synodus Emeritensis (a): Salubri deliberatione censemus, & pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina, à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his SS.

Ec-

(a) Synod. Emerit. c. 19.

Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ. Quodsi ab hac decesserint luce, nomina eorum cum fidelibus defunctis recitentur in suo ordine.

80 Honor sedis refertur ad prærogativam honoratioris loci. Censetur enim in Ecclesia honoratior sedes, quæ altari, & sacrario, choroque Cleri propinquior est. Synodus Wigorniensis ann. 1240 vetat (a), ne laici stent in cancellis, dum celebrantur divina, salva tamen reverentia Patronorum.

81 Honor & sepulturæ spectat locum honorabiliorem inhumationis in Ecclesia, isque judicatur honorabilior, qui sacrario est propinquior. Unde sepulturam habere in choro maxime honorificum reputatur, quod nunc specialiter Patronis annuitur.

82 Hæc honorifica jura ipso jure Patronorum sunt, tum laicorum, tum ecclesiasticorum, qui tales sunt ex fundatione, vel dotatione. Rescripsit Alexander III. quod, si nova Ecclesia ex proventibus veteris Ecclesiæ construatur, & dotetur, provideri debeat, ut competens in ea honor pro facultate loci Ecclesiæ Matræ servetur. c. 3. de Eccl. edif.

83 Nec tantum Patrono, sed & successoribus, hæredibusque prærogativa tribuitur. Et quousque in vivis superest, & liberi, & uxor distinguuntur. Sic judicatum fuit, in publica processione Patroni liberos, si masculi sint, immediate sequi patrem; uxorem quoque & filias prærogativa loci lætari, ita tamen, ut in publico congressu ipsæ in ordine mulierum primas teneant.

84 Si quæstiones incidant super his juribus honorificis, deferuntur terminandæ ad Judices Regios, non secus ac ipsæ controversiæ super jure Patronatus laico, cujus quidem plerumque accessiones sunt; præsertim quia similes causæ super possessione, hæc quasi possessione; institui solent. Constat autem in Gallia, Possessorum etiam in causis ecclesiasticis agitari coram Judicibus Regiis.

85 Absit vero, ut hæc jura honorifica Ecclesiæ Patronis ansam superbiendi relinquunt. Inquit S. Augustinus (b): *Magnum est de honoribus, & laudibus hominum non lætari, sed & omnem pompam inanem præcidere, & siquid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem, salutemque conferre.*

* 86 Meminerint inde Sacerdotes, & Parochi, ut, dum Patronis exhibent jura honorifica, rationabile sit obsequium, alie-

(a) Synod. Wigorn. c. 3. (b) S. Aug. 8. p. 22.

alienum à turpi quæstu, à sordida adulatione, à sequiore personarum acceptione, aliove vitio, quia templum est domus Orationis, in qua nullus locus est ambitioni, vanæ gloriæ, negotiationi, aut aliis quibusvis sæcularibus contentionibus, & æmulationibus.

* 87 Quid hæc, vel alia occasione salubrius, quam juxta discretionem sacerdotali fortitudinis regulas Ecclesiæ tueri? Ait S. Cyprianus (a): *Non idcirco relinquenda est nobis ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis solvenda censura, quoniam convitiis infestamur, aut terroribus quatimur—Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Christi, Ecclesiæque præcepta custodiens occidi potest, nec potest vinci.* Justa S. Ambrosium (b): *Nihil etiam in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam, quod pro libertate, & integritate disciplinæ sentiat, non libere denunciare.* Refert Theodoretus (c): *Cum divus Ambrosius, multa cum libertate Imperatorem alloquens, nonnulla reprehendisset, quæ à Magistratibus hæc recie facta, utpote adversus disciplinam, esse videbantur. Respondit Imperator: hæc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam: sed licet eam probe nossem, non solum non contradixi, imo assensum præbui Ordinationi tuæ. Proinde delictis animarum nostrarum medicinam adhibe, quemadmodum divina lex præcipit.* Ex sententia S. Augustini (d): *Qui pascit oves Christi, illius amor in tantum debet spirituales crescere ardorem, ut vincat etiam mortis, vel alterius periculi naturalem timorem.*

SECTIO II.

CAP. VIII.

De Regalia.

1 Innocentius XI. anno 1682. graviter succensebat Clero Gallicano, quod justæ defensionis libertatis ecclesiasticæ adversus recentiorum prætensionem, & extensionem Regaliæ, præterita discretionem Pastoralis fortitudinis, defuisset. Quis inquit, ausus est, invidiæ se offerre? Quis vel vocem unam emisit memorem pristinae libertatis?

2 Hodie Regalia jus Regium dicitur fruendi omnibus
Epis-

(a) S. Cypr. L. 1. ep. 3. ad Cornel. (b) S. Ambr. ep. 42. ad Teod. (c) Theodor. lib. 4. c. 6. Edit. Vales. (d) S. August. Tract. 123. in Joann.